



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Gregorii Thavmatvrgi, id est, mirabilium operum effectoris: qui fuit episcopus Neocæsareæ. Ex ea quæ est per D. Gregorium Nyssenum, Gentiano Herueto, Gallo, viro doctiſſimo interprete. Florere ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

VITA S. GREGORII THAVMATVR-

Vide C. Bar-
ron. in Not.
in Roman.
& Annal.
Tom. 2.

gi, id est, mirabilium operum effectoris: qui fuit episcopus Neocæsarea. Ex ea qua est per D. Gregorium Nyssenum, Gentiano Herueto, Gallo, viro doctissimo interprete. Flovere capit in Schola Originis anno Domini 233. sub Alexandro Imperatore: Obijt verò circa annum Salutis 266.

57. Nouéb.
alias 3. Iulij.

Vera laus
qua.

Ardens in
eo sapientie
studium.

CVM nulla omninò vera sit laus, nisi ea, quæ propria eorum est, qui laudantur; scripturus magni & planè admirabilis viri Gregorij vitam, libet indè potissimù ducere principium (patriæ, parentum & diuitiarum gloria prætermittis) vndè magnus & excelsus eius animus studio virtutum maximarum incensus elucescit. Cùm enim ex splendida & lautissima parentum fortuna, omnibus ijs, quæ mundus stupet & admiratur, abundaret, à tenera ætate cuncta relinquens, totum se ad studium sapientiæ strenuè viriliterque sectandum composuit. Nec fuit difficile ingenio terrenis rebus longè superiori & ab omni fastu & flatu superbiæ alieno, ad summù sapientiæ culmen pertingere. Igitur philosophicis præceptionibus exactè imbutus; earum cognitione, tanquàm basi & fundamento ad supereminens boni cõtemplationem, instar patriarchæ Abrahæ præclare est vsus; adeò ut per eam ad summi & veri boni cognitionem peruenerit: relictaque falsa parentù religione, ab omni mortiferi contagione peccati purus (tam rectè enim & prudenter gentilis adhuc vitam

vitam instituebat) ad regeneratiōis lauacrum
 accesserit. Cū enim Alexandria Philosophiæ
 operam nauaret, ijs erat virtutum ornamentis
 ac præcipuè vitæ castimonia excultus, vt foedè
 & incestè viuentes inuidiæ stimulis concitati,
 modis omnibus laudes eius obscurare cona-
 rentur. Hinc vt aliquam vitæ illius inurerent
 labem, eaque vt sperabant, propria flagitia ex-
 cusarent, structis insidijs, mulierculam insigni
 infamia meretricem mercede conducunt, vt
 castissimo adolescenti calumniam intenta-
 ret.

*Nota insignè
 in homine
 ethnico vitæ
 puritatem.*

*Calumnia eā
 struitur.*

Cū is autem pro more inter viros grauif-
 simos & sapientiæ opinione præstantissimos de
 rebus fortè philosophicis differeret, mulier-
 cula illa petulanter sanè atque lasciuè se inge-
 rens, palàm mercede se ab eo fraudatam esse
 clamauit, adiecitque causam, quæ viris illis
 prudentissimis, qui vitæ illius castimoniā vir-
 tutesque egregiè perspectas habebāt, indigna-
 tionem commouit, atque ad illatæ iniuriæ vl-
 tionem prouocauit. Ipse verò ne tantillū qui-
 dem commotus fuit; non vitæ suæ testes cita-
 uit; non iureiurando illatum probrum repulit;
 nō tantæ malitiæ auctores redarguit; sed quie-
 ta, & constanti voce ad quendam è familiarib.
 conuersus: Heus, inquit, solue ei pecuniam, ne
 amplius molestiam exhibēs rei propositæ stu-
 dium inturber. Cumque infamis foemina ac-
 cepto lucro gaudēs recederet, eccè subito cor-
 repta à dæmone humi ruit; & stridore belluino
 eiulans, horrendum & terribile ijs qui aderāt,
 disiectis crinibus, auersis oculis, & ore spu-
 mante, exhibet spectaculum: neque prius à dæ-
 monis

*Nota insignè
 profecto &
 admiratione
 dignam pa-
 tientiam.*

*Punitur di-
vinitus calū-
niarix.*

monis tortura libera extitit, quàm magnus ille Gregorius inuocato Dei omnipotentis nomine, eam à crimine, quo obstricta erat, liberaret. Et hæc quidem vitæ illius virtutibus admirandæ præludia fuere.

*Fuit discipu-
lus Originis
cum Firmia-
no.*

Postquam verò exactissima humanarum rerum scientia animum mentemque locupletasset, incidit in Firmianum quendam Cappadocem, honesto loco natū & amore cælestis philosophiæ pariter incēsum, ac postmodum Cæsarensium antistitem sanè egregium, quocum Originem adiit: seseque totum in eius disciplinam contradidit. Erat Originis illis temporibus omnium eruditorum facilè princeps; cuius tamen laudes eximius summæ virtutis æmulator Gregorius, breui tam excellenter est affectus, ut omnis illa regio eum suspiceret; certatimque ad maximos honores & dignitates prouehere cuperet. At ille tota mente in studium virtutis intentus, periculosos honorum scopulos remis, ut aiūt, velisque fugiens, confestim se in patriam recepit; vbi secum in quadam solitudine habitans, præmeditatam iam antè summæ perfectionis viam multò alacrior est ingressus.

*Fugit hono-
res.*

*Viuit Soli-
tarius.*

*Phœdimus
Episcopus
Amasæ eū
conatur fa-
cere sacerdo-
tem.*

Cum autem Phœdimus Amasæ Ecclesiæ illo tempore Episcopus, prophetico spiritu clarus, insignes & planè diuinas Gregorij cognouisset virtutes, modis omnibus latentem fugientemque ad sacerdotij dignitatem pertrahere conatus est: ne vir tam præclarus ociosam & inutilem, sibi soli intentus, traduceret vitā. Cum verò Gregorius de solitudine in solitudinem fugiens, pios viri sancti conatus illuderet,

ret: Phoedimus inuocato Dei nomine abs- *Creat fugi-*
 tem verbo consecrauit, ei que illam ciuitatem *tem & ab-*
 attribuit: quæ cum esset mirè populosa, tanto *sentem epi-*
 idolorum tenebatur errore, vt plures quàm se *scopum.*
 premdecim, qui Christianis sacris initiati e-
 rant, inuenti non fuerint.

Cum ergo coactus iugum illud subiisset, vt
 animum mentemque egregiè instructam, ad
 tanti muneris administrationem adferret, bre-
 ue ab eo tempus petijt induciarum ad ministe-
 rium accuratè considerandum. Ita que precib.
 lachrymisque die nocteq; sedulo vacans, cer-
 tam minimeque dubiã, nec humanis argumen-
 tis, sed diuina reuelatione confirmatam, à Deo
 fidei veritatisque postulauit doctrinam. Erant
 enim tunc quidam externa virtutis specie or-
 nati, qui probabilibus argumentis piam syn-
 ceramque Christianæ fidei doctrinam adul-
 terare conabantur. Igitur fluctuanti adhuc
 Gregorio, & omne genus cogitationum cum
 animo suo voluenti, ecce noctu visus adesse
 quidam veste pontificia indutus; forma senili
 vultusque dignitate, & honestate habitus, ma-
 gnæ præ se ferēs per omnia virtutem. Aderat
 ex obliquo diuina planè specie foemina: quæ
 suo splendore, discussis noctis tenebris, to-
 tum locum mirabiliter illustrabat. Stupente *Mysteria fi-*
 verò & trepidante metu Gregorio, Virgo *dei ei reue-*
 gloriosa Ioannem Euangelistam appellans *lantur per*
 mandauit, vt iuueni veritatis mysterium ri- *sanctum Io-*
 tē panderet. Nec mora: Sacer Euangelista *annem Euā-*
 breui & præclara oratione cuncta comple- *gelistam &*
 ctens, dubiam non modò Gregorij mentē con- *sanctam Dei-*
 firmavit, sed tanto insuper gaudio perfudit, vt *param.*

inito episcopatu, certam sibi quodammodo de cunctis Christianæ fidei hostibus victoriâ promitteret.

Igitur relicta solitudine, cum ad urbem nefando dæmonum cultu execrabilem tenderet, in ipso itinere vehementior pluuia subito iruens, & nox superueniēs templum quoddam insigne & idolorum cultu dæmonumque responsis celebre, eum subire coëgit. Ibi noctem illam cum socijs in precibus & laudibus exegit insomnem; & omnem illam dæmonum cateruam indè expulit. Cum verò manè ceptū eum socijs iter ingredi daretur, & ædituus cōsuetum dæmonibus cultū institueret; magnis vocibus clamare coeperunt nefas esse templū ingredi propter Gregorium, qui Christo suo vota precesque in eo fecisset. Ea propter ædituus, animo in Gregorium concitato, mortē illi intentat, ni offensa deorū numina placaret. Cum is autem temerariam & insolentem æditui irā eximia repressisset prudentia; postremò intulit, se Christi virtute & dæmones quocunq̄ vellet relegandi potestatem habere, & pari facilitate reuocādi. Admiratus ædituus & magnitudine potestatis obstupescit, rogauit, vt fugata rursum in templum reduceret dæmonia. Nec recusauit vir sanctus Christi potentiam declarare; sed arrepto calamo tria hæc verba in charta exarans, Gregorius Satanæ: Ingredere, eam ædituo tradidit vt altari imponeret. Imposuit ille, consuetosq̄ offerēs nidores & inquinamenta, dæmones momento temporis reuocauit. Ea re ingenti affectus admiratione ædituus cursu abeuntem est profequutus,

*Scril de
moni episto-
lam Grego-
rii.*

quutus, orans atque obtestans vt tantæ potestatis doceret mysterium. Paruit Gregorius; sed illo verbis fidem adhuc derogante, vir sanctissimus doctrinam miraculo confirmare nõ dubitauit.

*Conuertit
ædituum.*

Erat ingens lapis, quem ædituus per solam ex fide potestatem iussu Gregorij ad alium transferri locum postulauit. Nec mora: Gregorius lapidi tanquam animato imperauit, vt se ad locum, quem designabat ædituus, ilicò transferret. Paruit immani pondere saxum fidei verbo, & ædituus Christo pari alacritate se subdens, omnibus quæ habebat relictis, adhæsit Gregorio. Ea res cum magna Gregorij gloria statim longè lateque increbuit; populûque ad virum talem tantaq; virtute præditum oculis spectandum excitauit. Et quidem illo ad urbem veniente, effusa multitudo ei obuiam processit; fixis eum oculis intuens, & tanquam virum quendam diuinû honoribus prosequens. Ille autem humanarum laudum contemptor egregius, ne tantillum quidem ea gloria motus incedebat quasi solitarius; mente oculisq; diuinis tantummodò rebus intentus. Quæ res multò maiorem populo admirationem commouebat; quam patrati recens miraculi in lapide magnitudo.

*Solo verbo
ingentem
transfert lapidem.*

Igitur ciuitatem ingressus à terrena cupiditate se excussit perfecte: ita vt nullius omninò rei ne domûs quidem possessionem admitteret. Is tam admirandus rerum omnium in viro Dei contemptus, tantam ei apud populos conciliabat auctoritatem, vt certatim eum domo sua excipere contenderent: magno videlicet se

*Contemnit
laudes humanas.*

*Summus rerum
terrenarum in eo
contemptus.*

*Operatur**miracula.**Plurimos ab**errore ad**Christum**conuertit.**Ædes sacra**ab eo con-**strueta non**corruit, cæ-**teris omni-**bis terre-**motu quassa-**ris.**3. Reg. 3.*

beneficio & honore affici existimantes, si tanta virtute virum recto reciperent. Ille verò animarum lucris avidè inhians, de rebus diuinis totos ad populum dies differebat, & quavis corporis calamitate vel dæmonio oppressos verbo curabat; breuique tam ingētem multitudinem ad Christiana sacra perduxit, ut templum protinus Christo construerēt, rebusque omnibus præclarè adornarent. Fuit hoc ipsum basis quædam & fundamentum fidei, salutisq; Neocæsareensium: Nam cum multis post temporibus ingens & horribilis terræmotus omnia delubra subuertisset, magnamq; ædiū partem humi strauisset, sola illa ædes sacra à Gregorio constructa perstitit immobilis: ita ut eo spectaculo, & neophyti in fide mirificè confirmarentur, & idolorū adhuc superstitione polluti libenter sua nomina Christo darent.

Igitur cum & ciues, & accolæ, Apostolica in viro Dei quotidie stuperent miracula, certatim vrbis totius regimen & cōtrouersiarum omnium ad eum detulere iudicium: in quo tãquam alter Salomon admirandam prudentiæ virtutisque vim declarauit. Erant duo fratres ætate iuuenes, qui paternam nuper inter se diuiserant hæreditatem: in stagni cuiusdam possessione ad eò pertinaciter dissidentes, ut alter alteri necem intenderet. Fuerat causæ arbiter electus Gregorius; sed neque is animos in mutuam cædem cestro quodam iracundiæ cōspirantes, nullis rationibus vel lenitate verborum placare poterat. Iamque dies certaminis aderat, quo inter se, conflata vtrinque magna subditorum manu, de summa rei confingerent.

ret. Quod vir sanctus vt intellexit, pridie ad ripam itagni celeriter abiit; totamque noctem ducens infomnem, Mosaico plane miraculo, continentem ilico reddidit aridam, & omni humore vacuam; ite vt ne in cauo quidem vlla superessent aquarum reliquia: qua ante orationem instar pelagi exundabant. Quo spectaculo & contentio omnis dirempta est; & dissidentes animi fraterno amore vere sociati. Nec huic cedit alterum illud quod in Lyco fluvio patrauit miraculum. Cum enim fluius ille accolis vehementer noxius, terribili inundatione non vicinos modo agros, sed ipsa etiam hominum habitacula frequenter inuaderet, miserisque mortales inopinatio opprimeret, acolae audita viri virtute supplices ad eum venire, vt opportunum tanto malo remedium adhiberet. Nihil ille cunctatus, scipione innixus cum gente ad fluuium venit; baculumque, praemissa oratione, humi deficiens, eum veluti claustrum & obstaculum aquarum obiecit violentiae. Nam haud ita longo post tempore, baculus, actis radicibus in arborem excreuit, & inundantes dein aquarum impetus mirabili sane virtute repressit.

Stupendo miraculo redigit in concordiam dissidentes fratres.
Exodi 14.

Baculus eius humi deficiens agit radices & arceat vim aquarum.

Dum haec aliaque in Neocaesariensium ecclesia vir diuinus patraret, ex propinqua quadam ciuitate Comana nomine aduenere legati, qui aliquem suae ecclesiae a sancto pontifice antistitem postulabant. Abiit cum eis vir sanctus Comanam, vt statum Ecclesiae oculis lustraret, & virum diuinis virtutibus egregie excultum ei praeficeret. Cumque illi, ad quos suffragia pertinebant, viros illustres & dicendi artificio praestant-

præstantes offerrent, & laudibus quibus poterant extollerent; Gregorius, non externam corporis speciem, sed multò magis animi ornatum spectandum esse respondit. Vndè quidam animo commotus; Si, inquit, hos præcipua dignitate & genere viros despiciendos existimas, vilesque homunciones præponendos, Alexandrum licet carbonarium ad sacerdotium voces.

*Alexander
carbonarius
vir insignis
sive Comane
episcopus.*

Hoc ille ironicè quidem protulit suffragium; sed vir Dei non sine diuino nutu Alexandri factam esse mentionem existimans, hominem in medium produci mandat. Erat is Alexander insigni profectò virtute præditus, & cunctis iustitiæ pietatisque ornamentis egregiè excultus. Assumpserat autem vile hoc & abiectum opificium; vt latitans, propositum virtutis scopum facilius attingeret. Cùm ergò sordidis lacerisque pannis indutus, & manibus ac facie & toto denique corpore sordidatus prodiret, immodici omnium risus consecuti sunt. Ac Gregorius eximia viri virtute probè cognita, eum inter omnes summo illo sacerdotij honore dignissimum pronuncians, paulò post, cum contractas ex fuligine sordes abluisset, & cultiori se habitu, vt decebat, induisset, initiatum gratia consecrauit.

** Decius is
fuit.*

Post hæc cùm iam vesanis gentium ritibus, & detestabili inanium deorum cultu sublato Christiana pietas mirificè floureret, * Imperator, qui tunc Romana scepra tenebat, ira & inuidia stimulatus, ad omnes gentium Præsides misit edicta, vt Christi cultores probris, cõtumelijs, ac postremò cruciatibus ad patrium

dzmo-

demonum cultum reducerent. Fuere cōfestim
 terribiles suppliciorum minæ, & varia tormē-
 torum genera Christianorum oculis propo-
 sita. Eratque ingens in gente confusio; cum alij
 alios deferebant; alij indicabant; alij latentes
 scrutabantur; alij fugientes inuadebant: pluri-
 mi verò iniectis in fidelium facultates oculis,
 sub specioso pietatis ac religionis prætextu,
 cognatos ac parentes expellebant. Ingens ubi-
 que terror; nec vsquam fides tuto consistebat.
 Filius, qui gentili errore conflictabatur, parē-
 tem fidelem iudici prodebat; & filium, qui cre-
 diderat, pater incredulus accusabat. Hinc cum
 miseranda Ecclesię facies magnum illum Gre-
 gorium ad misericordiam & lachrymas pro-
 uocaret, cerneretque imbecilliores ad mortē
 vsque pro pietate decertare non posse, consu-
 luit omnibus, vt tyrannidi locum darent, fu-
 giendoque suas potius animas conseruarent,
 quam in acie stantes fidei desertores fierent.
 Atque vt melius salutarem fugam hominibus
 persuaderet, ipse antè alios cedens periculo,
 desertum quendam collem, cum diacono suo,
 quem ex ædituo ad fidem perduxerat, petijt: i-
 bidemque latitando afflictā Ecclesię membra
 fouit. Intereā cum scelerati fidei hostes totis
 in eam rem viribus incumberent, vt illo tan-
 quam duce exercitū expugnato, omnem fidei
 aciem frangerent, & dissoluerent, magna per-
 sequentium multitudo vestigijs eorum inhæ-
 sit; vnoque ductore, quem locus non latebat,
 ad collem tandem peruenerunt. Quos vt ve-
 nientes conspexit Gregorius, cum diacono
 suo ad preces conuersus conlinit impertur-
 tus:

*Ingens ori-
 tur persecu-
 tio in Chri-
 stianos.*

*Fugiendum
 in persecutio-
 ne.*

*Latitans in
 persecutione
 fouet eccle-
 siā S. Grego-
 rium.*

*Notarem
admirandã.*

eus: & ecce nefarij illi loca omnia scrutant, duas, sanctorum loco, arbores conspexere, & oculorum errore diuinitus decepti stomachantes, re infecta recessere. Post quæ reli-

*Proditor J.
Gregorij vi-
so miraculo
credit in
Christum.*

ctus Iudex ad sanctum accurrens, ad eius pedes supplex abiicit; abiectoque errore Christo credidit: & qui paulò antè fidem persequebatur, tunc pro fide simul cum fugientibus & ipse fugam iniit.

*Troadius in
signis mar-
tyr.*

Interea præses tota mente furibundus, quòd nulla spes consequendi Gregorium relicta esset, in reliquum Christianorù vulgus desæuiit: & inter alios Troadium quendam egregia nobilitate iuuenem ad certamè pertraxit. Decertabat is pro fide & pietate admiranda animi fortitudine; clarissimaque post acerbissimos cruciatus, martyrij corona redimitus ad cælos euolauit. Cernebat ea omnia in oratione excubans per visionè Gregorius; cunctaque per ordinem diacono & cæteris, qui aderat fidelibus enarrabat. Qua re obstupefactus vehementer diaconus, magistrum obnixè rogauit, vt sibi ciuitatem ingredi & martyris istius certamen fortitudinemque cognoscere liceret. Cumque antistes periculù subesse nunciaret, diaconus còtrà respondit se sperare quòd precibus illius adiutus & periculum euaderet, & cuncta, quæ volebat, oculis lustraret.

*Claret pro-
phético spiri-
tu S. Grego-
rium.*

Igitur magni illius Gregorij precibus confusus, cum vesperè ciuitatem intraret, lassusque ex itinere corpus lauacro reficere vellet, accessit ad quendam balnearum locum, quem dæmon multis annis infestus obsidebat, & plurimis necè intulerat. Itaque cum diaconus admit-

admitti postulare, hospes vim dæmonis exitialem ei exposuit, monuitque non sine presenti mortis periculo corp^o eo in loco lauari posse. At diaconus precibus sui antistitis confusus locum ingressus est; & dæmones terribilibus spectris metum mortemque inferre conantes, Crucis signo in fugam conuertit. Commouit ea virtus ingentem ijs, qui loco præerant, admirationem: quod nulli antè eum diem mortè euaserant, qui nocturnis horis se balneis istis fouere præsumperant.

Postquã verò diuina ope tyrannis illa soluta esset, & pax Ecclesiæ restituta Gregoriũ ad sedem reduxisset, vir diuinus totã circumiens regionem, accuratè nomina eorum qui pro fide viriliter occubuerãt describi, & festos dies in honorem sanctorum martyrum à populo vniuerso celebrari curauit. Hisce rebus sedulo intentus, sub obitum totam rursus peragravit diocesim, vt cognosceret, num qui adhuc fidei veræque salutis expertes relictĩ essent. Vbi autem cognouit non plures in antiquo errore, quã septemdecim permanisse, dixit hoc quidem esse vehementer dolendum: veruntamen iure magnas Deo esse agendas gratias, quod suo in Ecclesia successori, tot relinqueret simulacrorum cultores, quot ipse quondam accepisset Christianos. His itã constitutis cum Ecclesiæ suæ pacem precatus esset, ita excessit è vita, vir planè diuinus & rerũ terrenarũ contemptor admirandus, vt suis mandauerit, ne vllũ locum proprium ei ad sepulturam compararent: Sed hoc, inquit, narretur posteris; quod Gregorius neque viuis alicuius

*Diaconus
Gregorij,
Crucis signo
dæmones
fugat.*

*Natalitia
Martyrum
celebranda
instituit.*

*Notarẽ ad-
miracione
dignam.*

*Felicissimũ
eius obitum.*

*terrenarum
extimium.*

cuius loci possessor est nominatus, & post mortem alieni sepulchri inquilinus fuerit. Ad miranda profectò & omni præconio maior illa virtus, quæ solam eam possessionem iudicavit preciosam, quæ in se avaritiæ non suscipit vestigium.

Vide Not. C. MARTYRIVM SS. ACISCLI ET VICTORIA Germanorum : Ex Ioanne Maldonato Hispano.

17. Noué.

*Præsentantur
Iudici.*

*Mancipantur
carceri.*

*Diuersis
supplicijs affi-
ciuntur.*

CVM Dion præses, carceres, sæuos cruciatus, mortem deniq; Cordubæ Christianis indiceret, ni sacra continuo facerent dijs, Acisclus & Victoria strenui adeò & fortes in asserenda Christiana religione fuere, vt ad præsidem ducti, nihil se facere iussa principum audacter prædicarent. Quibus Dion admiratus, Vosne, inquit, estis, qui sacra deorum contemnitis? Præstamus nos, ait Acisclus, Christo Deo debitam seruitutem, nõ autem dæmonibus surdisque lapidibus. Erubuit præses ad tam audax responsum, & in ima carceris eos detrudi præcepit.

Postera verò die producti, cum in caminum ignis præcipitarètur, ab angelis excepti laudes diuinas personabant. In fluentum cum saxis ingentibus protrusi, enatant pfallentes; & vocè angelicam audiunt, irrita suorum clientum nõ fore vota. His Dion perceptis rotas iubet afferri; ignem sub rotis accendi; oleum desuper infundi. Acisclus & Victoria circumactis rotis certè affabantur; sed precibus instabant supplices, vt ignis extingueretur, ne victoria Dion exultaret. Itaque subito prorumpens flamma, quam-